

Bose :

De iriscorallio sacro.

Libus iustitia.

1739.









10  
7  
DE  
IVRIS CONSVLTVS  
SACERDOTIBVS IVSTITIAE

DISSERIT

---

V I R O  
CONSVLTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO  
D O M I N O  
IACOBO HENRICO BORNIO

A. M.

S V M M O S  
IN VTROQVE IVRE HONORES

*Ra*  
EX MERITO COLLATOS

*1356m*  
GRATVLATVRVS

*P. b.*  
M. IOANNES IACOBVS BOSIVS  
ADD. PETRI CATECHETA.

---

LIPSI AE A. D. III. IDVS AVGVSTI A. R. G. MDCCLXXXVIII.

---

LITTERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL.





DE

SVRIS CONSVALIS

SA CERDOTHVS SVRIS SVRIS

missant

VIR O

COMMISSIO ATQVE AMPLISSIMO

D O M I N O

JACOBO HENRICO BORNIO

KÖNIGLICH  
UNIVERSITÄT  
ZU HALLE

IN THEODORE H. JONNES

E MERTTO COLLATO

1717

M. JONNES

AD P. JONNES

AD P. JONNES

AD P. JONNES

AD P. JONNES

AD P. JONNES

AD P. JONNES





## V I R

## CONSULTISSIME ATQUE AMPLISSIME

**Q**uam magna animi contentione hucusque expetii  
 occasionem **TIBI, VIR CONSULTISSI-**  
**ME,** publice meam uoluntatem et mentis obser-  
 uantiam declarandi, eam hodierno die uberrimam, **TE**  
 summis honoribus a Themide ornato, oblatam esse, etiam  
 atque etiam gaudeo uehementerque lactor. Etsi enim  
**TVAM** singularem eruditionem cum insigni humanita-  
 te semper coniunctam, et a laudatis quoque uiris praedi-  
 catam, quae demum uera laus est, nullo non tempore  
 admiratus fui, tamen ardentissimis uotis optaui, illud  
**TIBI** publice testari et uoluntatis in **TE** meae tesseram,  
 obseruantiae documentum exhibere. Diu quidem est, quod  
 hos honores, quos hodie sumis, promeritus fueris, iu-  
 ris prudentiae laude multis iam doctissimis scriptis **TIBI**  
 uindicata, sed hucusque ab iis studio abstinuisse uideris,  
 quo illi non **TE** ornarent, quod saepe contingere solet,  
 sed **TV** potius illis et ordini iuris consultorum insigne  
 decus conciliares atque ornamentum. Atque hoc ipsum  
 est, quod ego maxima afficior laetitia, quae me etiam coe-  
 git, ut **TIBI** in praesenti leui munusculo meam pieta-  
 tem exponerem et cogitationes de iuris consultis sacer-  
 dotibus iustitiae mei officii partes agere iuberem, certis-  
 sime persuasus, **TE** non tam munus, quam uoluntatem



## IV

offerentis consideraturum esse. Equidem non sum nefcius, curtam mihi esse supellectilem, nec aliquid perfectum ingenio a me posse proferri, quod solum TIBI sese probari solet, confido tamen, TE pro singulari TVA in me benevolentia aliquid daturum esse amicitiae et ubicunque forte a ueritatis tramite recesserim, meos conatus in bonam esse interpretaturum partem. Accipe itaque haec serena fronte, quamuis non sint omnibus numeris perfecta, tanquam mentis piae testificationem, et laudes uelim uoluntatem etiam si uiribus destitutam. Ego uero TIBI, VIR CONSULTISSIME ATQUE AMPLISSIME, hos summos in iuris prudentia honores ex animo gratulor et ita gratulor, ut Deum immortalem etiam atque etiam orem, quo TIBI hos honores fortunatos esse iubeat, maioribus dignitatum accessionibus indies augeat, TEque sacerdotem iustitiae in splendidissimae familiae, quae sacerdotio iuris dudum fungitur, decus, in patriae et reipublicae emolumentum per multos annos superesse permittat. Quod uero reliquum est, illud a TE maiorem in modum contendo atque requiro, ut etiam in posterum mihi faueas, TIBIque persuadeas, me semper esse elaboraturum, quo TVA benevolentia non indignus uidear unquam fuisse. Vale. Dabam

Lipsiae D. III. Iduum Augusti A. R. G.

clb. lo cc xxxviii.

DE





DE  
IVRIS CONSVLTVS  
SACERDOTIBVS IVSTITIAE.

---

§. I.



Vi humana omnia multis exposita sunt vicissitudinibus, ita et liberales artes istam inconstantiam saepe experiuntur, ut nunc habeant cultores plurimos, nunc contemptae iaceant atque neglectae. Neque enim ullo unquam tempore defuerunt male morati homines, nec unquam esse defuturos, auguramur, qui scientiis suum pretium non statuentes, quaecunque ipsis non placent, Theonino dente rodere et in optima quaeque suum uirus effundere consueverunt. Non diuinarum, non humanarum scientiarum rationem habent, ridendo, calumniando, detrahendo suum tempus terunt, nec se inuenisse credunt, quod pueri in faba, si quid ipsis sese obtulerit, quod ansam praebeat, uariis conuiciis illas artes proscindendi, quae aliis ornamento esse solent atque delectamento. Si nobis constitutum esset, spatia praeteritorum temporum respicere et ea recensere, quae olim ab eiusmodi maleuolis hominibus hac in re tentata fuerunt, facillimum nobis foret, de singulis artibus id exemplis confirmare. At quum in praesenti nobis sit animus



## VI

Themidis cultores figillatim considerare, iniustae illorum querelae nobis in mentem ueniunt, quibus huic scientiae maculam aspergere laborarunt. Antiquis iam temporibus alios atque alios deprehendimus, qui huius criminis rei censendi sunt, ex quibus solum in praesenti nominare sufficiat, AMMIANVM MARCELLINVM, qui iuris peritos et oratores acerbe infectatus est eosque grauius perstrinxit. 1 Fuerunt sane nonnulli ueterum apud Romanos, qui causas agere et in iudiciis uersari uile et abiectum iudicarunt, et in dignitatum fastigio collocati eo se sponte abdicarunt. Cuius rei exemplum Hortensius praebere poterit, qui post consulatum, teste CICERONE, 2 summum illud suum studium remisit, quo a puero fuerat incensus, et PLINIUS 3 de se scribit, quum tribunus fuisset, causis agendis abstinuisse. Multos alios in praesenti tacemus, qui ex praesens de iuris prudentia et eius cultura iniqua attulerunt iudicia, quum eorum malus animus satis superque se prodat et in compendio quasi apud HENR. CORN. AGRIPPAM 4 legi possunt.

1 *Lib. XXX. cap. 4. p. 64. sqq. edit. Iac. Gronou.*

2 *De claris oratoribus cap. 93.*

3 *Lib. I. ep. 23, 2. Egregie tamen hos locos Ciceronis et Plinii explicat et iuris consultorum partes masculae defendere annisus est ANDR. TIRAQUELVVS de nobilitate et iure primogenitorum cap. 29. p. 217. sqq. edit. Basil. A. MDLXI. fol. ubi disquirat, An aduocati munus nobilitati obsit.*

4 *de incertis et uanis scient. cap. 93. et 95. Conf. de hoc libro et eius auctore IO. GEORG. SCHELHORNII Amoenit. Litter. Tom. II. obs. V. p. 513 et VII. p. 553.*

## §. II.

Quod si singulis scientiis suum decus honosque iure tribuendum est, haut male suum tempus collocasse censendi sunt, qui iuris prudentiae quoque suam laudem uindicare elaborarunt, praesertim quum per hanc doctrinam multum utilitatis ad genus humanum redundare nemo facile inficias iuerit. Bene itaque et sapienter maiores et in primis Romani instituerunt, ut summa dignitate atque auctoritate essent, qui Themidis castra sequebantur, et uel ius dicerent, uel leges interpretarentur, uel sententias legum proferrent, uel causas in iudicio agerent. 1 Leguntur propterea multorum elogia apud Romanos, quibus horum iuris consultorum societatem cumularunt, quo non solum eorum auctoritatem, uerum utilitatem quoque nobis satis superque confirmarent. Disertissimus Romuli



Romuli nepotum, CICERO, satis grauiter pronunciat, sine dubio iuris consulti domum totius oraculum ciuitatis esse, 2 similitudine ab Apolline Pythio ducta. Nēmīni certe, qui uel Romanorum antiquitates primis, quod aiunt, labris degustauit, ignotum esse poterit, uariis nominibus, iisque splendidissimis, olim iuris consultos honestatos fuisse, quae dignitatem atque splendorem eorum satis loquuntur. Viri summi, 3 amplissimi 4 et eruditissimi 5 ab eodem oratore, cuius modo mentionem fecimus, appellantur, IUSTINIANO 6 Magnifici et Illustres audiunt, apud LAMPRIDIVM 7 peritissimi, doctissimi et splendidissimi, VALERIO MAXIMO 8 Clarissimi uocantur. Neque obscurum est, iuris consultos, qui in aulis Imperatorum uersabantur, olim Excellentissimos, Illustres, Magnificos, Amplissimos compellatos fuisse, quamuis tempore sequenti haec nomina aliis, minoris etiam dignitatis hominibus, collata fuerint, quae nostrum in praesenti non est, ut multis auctorum testimoniis confirmemus. 9

1 uid. de dignitate et auctoritate iuris consultorum apud Romanos Illustr. 10.

GOTTF. HEINECCIUS in *Antiq. Rom. Lib. I. Tit. II. §. 37. sqq. p. 65. sqq.*

2 de *Orat. Lib. I. c. 45.* ad quem locum omnino confer STREBAEVM p. 329. Vol. II. Verburg.

3 de *legibus Lib. I. c. 41.*

4 de *orat. Lib. I. c. 45.*

5 *cit. loc. cap. 30.*

6 *Prooem. Instit. §. 3.*

7 in *Alexand. Seuero cap. 68. et ibid. cap. 15.*

8 *Lib. VIII. cap. 12.*

9 Conferre tamen potest, cui uolupte est, Ill. 10. PETR. DE LVDEWIG *uitam Iustiniani M. cap. VIII. p. 181.* Et GOTTF. LEONH. BAUDIS in *diff. de uiribus uiri illustris, Spectabilis, Clarissimi, Magnifici, Excellentissimi et Amplissimi, olim aulicis nunc etiam scholasticis.* Lips. 1706. habita.

### §. III.

Nulla uero inter omnes compellationes iuris consultorum nobis maioris momenti et illustrior esse uideretur, quam illa, de qua in praesenti pauca meditari est animus, quando *sacerdotes iustitiae* uocantur. Auctor huius nominis DOMITIANVS VLPIANVS est, iuris consultus tempore Alexandri Seueri celeberrimus, ab ipso Imperatore Iustiniāno uir summi ingenii appellatus. 1 ANGELVS uero POLITIANVS 2 de eo

memo-



memorat, ducentis et uiginti duobus libris de iure Romano Romanisque magistratibus Vlpianum inclaruisse. Digna uero sunt Vlpiani uerba, quae apponantur, in quibus hoc nomine iustitiae cultores ornat. Ita uero, quum antea ius a iustitia appellatum esse dixisset, pergit, *3 Cuius merito quis nos Sacerdotes appellet. Iustitiam namque colimus et boni et aequi notitiam profitemur, aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu poenarum, uerum etiam praemiorum quoque exhortatione efficere cupientes.* Quum nuper in hoc elo- gium inciderem Vlpiani atque in causas inquirerem, cur hac appellatione ornarentur iuris cultores, simulque animaduertentem, multos etiam iuris consultorum de hoc nomine uel plane tacuisse, uel non satis curate rationes eius euoluissent, me facturum operae pretium existimaui, si non- nulla de hac ipsa re meditarer.

1 *Leg. un. §. 9. C. de caducis tollendis.*

2 *Lib. IV. ep. 9.*

3 *L. I. §. I. D. de Iust. et Iur.*

### §. III.

Considerantibus itaque nobis aliqua cum cura iuris consultorum nomen, quo sacerdotes iustitiae appellantur, illud nobis partim honoris et dignitatis, partim officii esse uideretur. Hoc enim agere uult VLPIANVS, ut initio demonstraret, iuris cultores adeo a ceteris differre et super alios eminere, ut singulari dignitatis atque honoris cultu sint suspiciendi, simulque uero eos monere uoluit, ut probe considerent, quam sanctum et uenerabile munus gerant, id quod ex illis potissimum patet, quae in uerbis adductis sequuntur. Quod si hoc nomen initio dignitatem iuris consultorum sinit, illorumque reuerentiam singulis commendare cupit, statim quaeritur, quo potissimum respexerit iuris consultus celeberrimus. Sacerdotis enim nomen sibi suisque non sine ratione uindicauit, quod omnes fatentur. Negare itaque non possumus, hoc nomine simul ad dignitatem et auctoritatem sacerdotum antiquis temporibus digitum intendere uirum clarissimum. Ex antiquitate propterea haec denominatio paucis repetenda erit, ex auctoritate et dignitate sacerdotum prisca temporis, cum iuris consultorum honore conferenda. Nolumus tamen hoc in loco ad istum ritum sacerdotum recurrere Romanorum, quo Fla- mines



mines in primis Deae Iustitiae in Capitolio temploque eidem dicato illo tempore sacrificare debebant, quando Romanis in bellum erat eundum, quia hi iusta mouere arma, ceterae uero nationes odio et malevolentia tela in Romanos capere praesumerentur, nec ex sacris Deae Astraeae deriuare, quod utrumque fecisse deprehendimus Conf. 10. KLEINIVM 1 aliosque, qui in eandem sententiam propendunt, ex quibus in primis nominare liceat CAR. SELVAGHIVM, 2 Themidis apud Graecos cultores et Sacerdotum uaria genera, quibus iustitiam, Dei filiam, colere, maxime erat concreditum, ad nostrum locum producentem. At haec propterea forte multis non placebunt, quod hac ratione cum popis istis gentilium et superstitionum cultoribus iuris periti componantur atque illis sacerdotibus iustitiae annumerentur. Si quid nostri est iudicii, hoc in loco illud generatim tantum est considerandum, quod auctoritatem et dignitatem sacerdotibus apud omnes gentes conciliabat atque illos in summo honoris fastigio collocabat.

1 in Diff. de officio Iurisc. sacerdotali, Praefide Georg. Radouio Gustrau. 1705. habita, et in eius disert. iurid. quae iunctim prodierunt Francof et Lipsiae 1716. 4. recusa, §. III. et IV. p. 76.

2 de origine, ethymo et praestantia Pandectarum p. 19. Tom. I. EVERHARD OTTONIS Thesaur. Iur. Rom.

### §. V.

Magis itaque nostro instituto inseruire posse confidimus, si illud in mentem nobis reuocauerimus, quod olim non solum summo honore habiti sint sacerdotes et singularem auctoritatem fuerint consecuti, uerum etiam sacerdotium et regia dignitas, cui legum et iuris prudentiae cura potissimum concredita est, antiquis temporibus saepe fuerint coniuncta. Pleni enim sunt annales, plena historiarum monumenta, quae scribunt et asserunt, antiquis temporibus non tantum reges saepe sacra administrasse, sed etiam sacerdotes, quos alio nomine non male TACITVS 1 sacricolas uocat, saepe leges tractasse et iurium causas curasse. Nemini forte dubium erit, apud Ebracos hoc saepe in usu fuisse, quum praeter alios scriptores etiam idem nobis confirmet sacrae paginae, testimonium perhibentes omni exceptione maius. 2 Inde enim cognoscimus, patriarchas et sacris religionis et gubernationi rei publicae praefuisse, siquidem regia

B

quoque



quodque erant dignitate, quamvis carebant nomine. Tacemus alios, in quibus utrumque munus uel ex necessitate uel ex diuino mandato coniunctum deprehendere licet. De aliis uero gentibus, apud quas utrumque officium iungebatur, satis luculenta prostant documenta, quae huius rei euincunt ueritatem. Sacerdotii non solum apud Graecos tanta fuit existimatio, ὥστε ἐνιαυτῷ τῆς Ἑλλάδος ἀντιζήσον ἓνα τὸ τῆς ἱερωσύνης ὀξίωμα πρὸς τὸ τῆς βασιλείας, ut aliquibus Graeciae in locis sacerdotii dignitas aequalis haberetur regiae, quemadmodum PLVTARCHVS 3 testatur, sed etiam sigillatim de Aegyptiis relatum legimus, reges ipsorum sacerdotes fuisse et gubernacula rei publicae tenuisse. Fatetur illud satis clare de iisdem AELIANVS, 4 quando, Διασαί, inquit, τὰ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίους εἰ ἱερεῖς ἦσαν. Hinc δὲ τῶν ἀρχῶν ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδικάζεν ἅπαντας, Iudices apud Aegyptios primo tempore fuerunt ipsi sacerdotes. Illorum autem princeps erat maximus natu et iudicabat omnes. Reges postera aetate eorum ex sacerdotibus creati sunt et summa rerum potestas illis concredita fuit, quod memoriae prodidit PLVTARCHVS 5, simulque addit, si forte quis ex sacerdotibus non fuerit electus rex, se tamen illum statim dedisse sacerdotibus et philosophiam addidicisse. Non uero hoc tantum Aegyptiis, sed etiam aliis gentibus in more fuisse positum, omni caret dubio, quod uariis ueterum documentis probare possemus, si in praesenti nostri instituti hoc permitteret ratio. Vnum tamen audire licebit PLATONEM, qui et de Aegyptiis et Atheniensibus hoc confirmat. Περὶ μὲν Αἰγυπτον, inquit, εἰδὲ ἔξει βασιλεῖα χωρὶς ἱερατικῆς ἀρχῆς· ἀλλ' ἐὼν ἀρεὴ καὶ τύχη πρότερον ἐξ ἄλλης γένεος βιασάμενος, ὕπερον ἀναγκάσιον εἰς τὸ ἐπιστελεῖσθαι τὸ γένος. Ἐτι δὲ καὶ τῶν Ἑλλήνων πάλαι καὶ ταῖς μεγίσταις ἀρχαῖς τὰ μέγιστα τῶν περὶ τὰ τοιαῦτα θύματα εἶναι τίς ἂν προσταττόμενα θύειν. Καὶ δὴ καὶ παρ' ὑμῖν ἐχ' ἦκει αὐτὸν ὁ λέγων, τὰ γὰρ λαχόντι βασιλεῖ Φασὶ τῆδε τὰ σεμνότητα καὶ μάλιστα πάτρια τῶν ἀρχαίων θυσῶν ἀποδεδόσθαι. Apud Aegyptios non licet regem absque sacerdotio imperare. Quin immo si ex alio genere quispiam uel regnum usurpet, cogitur post regni assumptionem sacris initiari, ut sit sacerdos. Praeterea in plurimis Graeciae ciuitatibus, apud uos praesertim, Athenienses, reperies, praecipua sacra summis mandari magistratibus. Nam qui Regis munus obtinuit, ei sacrorum antiquissimorum augustissima et maxime patria esse ferunt attributa. 6 De Lacedaemoniorum institutis idem accepimus, regem ipsorum et politicae atque rei publicae habuisse curam

et



et rerum sacrarum quoque procuracionem, ut adeo de hoc rege scribere potuisset XENOPHON, 7 ἔθεν ἄλλο ἔργον καταλείπεται βασιλεῖ ἐπὶ Φερεῶς, ἢ ἱερεῖ μὲν τὰ πρὸς τὰς θεὰς εἶναι, στρατηγῷ δὲ τὰ πρὸς τὰς ἀνθρώπων. regi in exercitu nihil aliud negotium restat, quam ut rerum diuinarum respectu sit sacerdos, humanarum uero imperator. Tandem uero Romanorum ueterum non tacenda est huius rei consuetudo, quibus erat in more positum, ut et reges sacerdotalem dignitatem gererent et sacerdotes legum et statutorum imperii curam haberent. Omnibus nota sunt in hanc sententiam VIRGILII uerba, canentis,

*Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos 8.*

ad quem locum bene SERVIVS annotat, *Maiorum enim haec erat consuetudo, ut rex esset etiam sacerdos et pontifex.* Numae exemplum apud LIVIUM 9 legitur, qui non solum multas leges Romanis scripsit, diuina id fieri auctoritate simulans, sed etiam ipse plurima sacra obibat. Orpheus, qui Thracibus leges condidisse scribitur, etiam sacerdos uocatur, non quod sacerdotio aliquo functus fuerat, sed quoniam sacerdotem iustitiae se esse contenderat et institutorum suorum originem ad Deos referebat 10. Multi praeterea Romanorum Imperatorum in scenam produci possent, qui simul sacerdotalem dignitatem et nomen Pontificis Maximi gesserunt atque retinuerunt. Augustus enim Caesar deuicto atque suppresso Lepido pontificatum inuadere in animum induxit et eo defuncto se Pontificem Maximum appellari uoluit, quod nomen multi post eum Imperatores gesserunt, etiam Imperatores Christiani, quanquam sacra gentilium abominarentur, non prorsus deposuerunt. Facile ex his itaque intelligitur, ex qua ratione Imperatoribus nomen ἀρχιερέως fuerit tributum, quod eorum dignitatem etiam atque etiam confirmare uideatur, quo honoris titulo etiam Traianum honoratum fuisse deprehendimus apud GRVTERVM 12 ubi hanc inscriptionem exhibet,

ΑΤΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΚΑΙCΑΡΙ.  
ΘΕΟΥ. ΝΕΡΒΑ. ΥΙΟΥ. ΝΕΡΟΥ.  
Α. ΤΡΑΙΑΝΩ. CΕΒΑCΤΩ.  
ΑΡΧΙΕΡΕΙ. ΜΕΙCΤΩ.

Singula haec pluribus euincere et per partes probare nobis in praesenti non est constitutum, illud nobis sufficiat, ex haecenus disputatis satis superque patere, apud Romanos quoque Imperatoribus et rei publicae curae



admotis sacrorum gubernationem saepe etiam fuisse demandatam. Illud adhuc debet paucis ostendi, sacerdotibus quoque legum atque iustitiae procuracionem olim saepius concreditam fuisse. Neminem confidimus in antiquitatibus mediocriter uersatum Romanorum, qui ignoret sacerdotum atque pontificum priscis temporibus auctoritatem et potentiam etiam in rebus ciuilibus. Non enim insignis tantum apud omnes illorum erat dignitas atque reuerentia, ut omnes etiam illos cultu maximo uenerarentur, uerum etiam leges praescribebant populo et quid fieri debebat indicabant, inde LIVIVS 13 quoque ciuile ius repositum fuisse tradit in penetralibus pontificum. Praeterea etiam bellum indicabant, quod faciales sigillatim fecisse constat, foederi praererant atque prospicere saepe debebant, ne quid res publica detrimenti caperet, dies nefastos atque fastos indicabant, id quod ipse Numa instituerat, 14 quae omnia illis auctoritatem non uulgarem, honorem insignem conciliare poterant. Sed quorsum haec disputo? ut ex his intelligatur, antiquis temporibus sacrarum et ciuiliu rerum curam saepe uni fuisse demandatam, quod CICERONE 15 iudice propterea factam, ut amplissimi et clarissimi ciues rem publicam bene gerendo, pontifices religionem sapienter administrando, rempublicam conseruarent. Quando itaque quaerentibus rationem reddere debemus, cur iuris consulti sacerdotes iustitiae fuerint appellati, non plane nos erraturos esse confidimus, si dixerimus, hoc nomen dignitatis esse titulum, et inde patere, quod illis cura etiam sacrorum, quo rite et in honorem summi numinis fiant, sit concredita, illamque dextre cum legum ciuiliu tractatione esse coniungendam. Ipse VLPPIANVS me hac in re confirmat, eo potissimum se spectare, quum hoc ipso in loco paullo post nostra §. III. adducta uerba ius in publicum et priuatum dispescat, publicumque in sacris uersari asserat. Neque tamen alios hac in re mihi contradicentes deprehendo iuris consultos, ad eandem originem huius nominis rationem referentes, ex quibus in praesenti nominatim proferre liceat IO. VOETIUM, 16 CHRIST. WILDVOGELIUM 17 et GVIL. BVDAEVM, 18 ut reliquos taceamus.

1 *Hist. Lib. III, cap. 74.*

2 *Conf. SELDENVM Lib. I. de successione in Pontif. cap. 10. p. 280. sq. ubi etiam de potestate pontificis in rebus ciuilibus disserit, et adde eiusdem lib. II. de Synedriis cap. 10.*

3 *in quaest. Rom. p. 291, Tom. II. Opp.*



- 4 *Var. Hist. Lib. XIII. cap. 34. et adde animaduers. PERIZONII p. 977. edit. Gronou.*
- 5 *de Iside et Osiride p. 354.*
- 6 *in Politico p. 183. edit. Lugd. 1590. fol.*
- 7 *de Lacedaem. repub. p. 689. edit. Leuncl. Conf. TIRAQVELLVS cit. loco cap. 20. p. 136.*
- 8 *Aenid. Lib. III, 80.*
- 9 *Lib. I, c. 20.*
- 10 *Vide de hac Orphei denominatione VIRGILIVM Aenid. Lib. VI, 645. et add. Conf. STEGERVS in progr. de nomine aduocatorum honorificentissimo, Cap. M. §. 2. p. 20. ubi non solum de hac denominatione iuris consultorum nonnulla habet, sed etiam Orphei compellationem optime exponit.*
- 11 *De omnibus his sollicitate egit IO. ANDR. BOSIVS in exercit. de pontificatu maximo imperatorum Romanorum, maxime cap. 2. et 3, ubi simul cap. 6. contra Io. Pacidium, uel, qui sub hoc nomine latet, Iac. Gothofredum, disputat et argumentis uariis demonstrat titulum Pontificis Maximi etiam gestisse Imperatores Christianos.*
- 12 *in inscript. p. 1084. n. 11.*
- 13 *Lib. IX. cap. 46.*
- 14 *LIVIUS lib. I, 20. add. CICERO de legibus Lib. II. cap. 12.*
- 15 *pro domo sua ad Pontif. cap. 1.*
- 16 *in Commentar. ad Pandectas Tom. I. p. 4.*
- 17 *in electis iuris tam ciuil. quam Canon. et Saxon. Mantiss. II. de Sacerdotis iuris. p. 144.*
- 18 *annot. ad Pandect. p. 8. et 9.*

## §. VI.

Non parum ad huius rei explanationem profuturum esse arbitror, si paucis etiam illud consideremus, quod hoc in loco sacrum et deinde ab hoc sacerdos sit appellatum. Nolumus illud monere, quod facer nonnunquam idem ac nefandum et nihil minus quam sacrum apud auctores notet, illud tantum in censum in praesenti uenire debet, quod facer sit, Deo dicatum atque consecratum, sacerdos, qui sacra facit et sacrorum habet curam. Reges atque principes Dei imaginem his in terris referre eiusque iussa exsequi, nemo est, qui uel ipso Deo et scriptura docente, illud in dubium uocare poterit. Quae quum ita sint, non adeo absurdum est, si ea, quae ad principes et magistratus pertinent, sacra uelles uocare. Neque hoc ut sine ratione asserere uideamur, non destituimur ueterum de hac re testimoniis, siquidem SVETONIVS I nobis reliquit,



Imperatoris Tiberii occupationes sacras fuisse appellatas, quod quidem Tiberius fieri noluit, sed nouimus tamen postera aetate omnia ferre, quae ad imperatores pertinebant, sacra fuisse uocata. Aula principis sacrum audit, et sacrum latus, sacrum uultus, de eo dicebatur. 2 Hoc sensu aliqua ex parte explicare poterimus, quid sacrae leges et sacrae constitutiones sint, nempe eae, quae ab Imperatore profectae sunt, quamuis et hoc in loco facile concedamus leges propterea sacras dici, quia uiolari et reuocari non debent, quod alii malunt. 3 Quae si attente consideramus, facile inde intelligemus, legum peritos etiam propterea appellari posse sacerdotes, quia non modo principis sunt ministri, cuius nomen sanctum esse debet, nec ab ullo uiolari, uerum etiam, quoniam sacras res tractant, leges custodiunt atque explicant, decus quoque ac principis honorem curant et iustitiae operam nauant, quae omnium consensu res sanctissima 4 est.

1 in *Tiberio* cap. 27. add. TORRENTIVS ad b. 1. p. 320. Graeu.

2 uid. GEVARTIVS ad Stat. Sylu. Lib III, 86. et BARTHIVS ad Claudianum p. 586.

3 Conf. Iurisconsulti supra nominati, in primis SELVAGHIUS apud *Ottoneum* et add. CALVINI *Lex. Iur. V. Sacerdos*.

4 L. I. §. 5. D. de extraord. Cogn. Est res sanctissima civilis sapientia.

### §. VII.

Quemadmodum uero haec omnia satis superque dignitatem et auctoritatem horum sacerdotum Themidis describunt atque demonstrant, ita etiam eadem appellatio officium illorum exprimit studiumque commendat. Ulpianus ipse hoc luculenter declarat, additque multis uerbis, quid hoc sacerdotium a iuris consultis requirat. Atque in hac explanatione omnes, quos consulimus, operam suam collocarunt, probantes in eo sacerdotium horum uirorum positum esse, ut iustitiam colerent et quicquid hoc in loco requiritur, summo studio et labore susciperent. Digna in primis nobis uisa sunt uerba IO. KLEINII, hoc officium Iuris consultorum prae aliis summa diligentia describentia, quae hoc in loco apponantur. Postquam enim illa, quae supra adduximus proposuisset, addit, *Si haec cui non satisfacerent, sed gentilissimum et antiquas de Romanorum Decorum Sacerdotibus fabulas sapere uideantur, quarum uestigia in augusto Iuris corpore noluit superesse Iustinianus §. 3. prooem. Instit. ex altioris philosophiae principis dum respondendum. Quod Icti Iustitiae uirtutum*



tutum omnium principi et Reginae mancipati eamque non uerbis et ore sal-  
tim, sed factis potius ipsis, ubicunque commoda sese obtulerit occasio, nulla  
habita, siue personae, siue praemii, aut emergentis cuiusque etiam grauissimi  
damni, multo uero minus status ratione, non minus fortiter quam constanter  
prostitentes, neque ut a tramite recti ulla ratione dimoueantur, patientes,  
iuxta Christianismi quoque regulas SS. iustitiae cultores et sacerdotes  
rectissime dici possint. Egregie sane haec omnia officium horum sa-  
cerdotum describunt illosque de suo graui munere monent, ipse tamen  
VLPIANVS in specie omnia profert atque cum cura inculcat. Diuer-  
sam quidem horum sacerdotum esse rationem ab aliis in antiquitate sa-  
cerdotibus, recte obseruat WILDVOGELIVS, 2 tamen simul negare non  
potest, aliqua ex ratione cum illis hos componi posse. Requirebatur  
merito in illis sacerdotibus dexteritas, et, ut illa notitia essent instructi,  
quae ad munus sacrum obeundum erat necessaria. Ebraeorum sacerdo-  
tes quanta exploratione et perfectione 3 opus habuerint, inter illos con-  
stat, qui illas antiquitates diligenter tractare solent. Romanorum alia-  
rumque gentium sacerdotes etiam illa scientia debebant esse instructi,  
quae in sancto munere utramque facere solet paginam, inde non quilibet ad  
hoc munus admittebatur. Apud Athenienses certe reges et sacerdotes  
examinabantur, *εὐφελῆς καὶ δλόκληρος*, num corpore essent sano atque  
integro. 4 Ita etiam sacerdotibus iustitiae conuenit, ut iis sint instructi  
artibus, quae ad culturam iustitiae requiruntur, quo illa, quae recta atque  
iniusta, perspiciant, suoque officio faciant fati.

1 in *diff. de officio iuris cons. sacerdotali* §. V. p. 77.

2 *dict. loc. p. 145. sq.*

3 Multa erant, quibus omnibus carere debebat minister sacrorum apud hanc  
gentem. Qui haec in compendio cupit legere adeat ABEL ADAM HOT-  
TINGERI *integritatem sacerdotum Aaronicorum ac mysterium*, prodit Fran-  
cof. ad Moen. 1735. 8.

4 ita *Auctor Erythol. M. u. ἀφελῆς*. Add. PLATO *de leg. Lib. VI. p. 616.*

### §. VIII.

Non uero solum sufficit, ut notitiam legum et earum caussarum habeat  
perfectam eiusmodi sacerdos, sed praeterea quoque dextra applicatio ear-  
um requiritur. Huc spectare mentem VLPIANI clarissimum est, quando  
scribit, *et boni et aequi notitiam profitemur*, statim uero usum huius noti-  
tiae



tiae clarissimum addit, *aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes.* CAR. SELVAGHIUS 1 in eo, quando dicitur, Iuris consultos aequum ab iniquo separare, licitum ab illicito, Iuris prudentiam medicinae comparari, credit, uti enim Medicina tum salubrium quam infalubrium aphorismos colligit, ut a singulorum cognitione facilius uitentur aduersa, ita ius aequi et iniqui fontes ostendere, quo licitum ab illicito, iustum ab iniquo iuris consultus probe disparare sciat, quod, quo iure ab illo factum fuerit, aliis diiudicandum relinquimus, quibus haec sacra curae cordique sunt. Quod ultimo loco occurrit maxime munus horum sacerdotum describere uidetur, in eo enim illi laborare dicuntur, ut ciues efficiantur boni, non poenarum saltem metu, uerum etiam praemiorum adhortatione. Si poenis et formidine iustitiae tantum coguntur homines ad omittenda mala, ex his non uera surgit uirtus, sed quasi coguntur ad ea fugienda, quae alias suscipere et peragere libentissime uellent. At praeclari conatus omnino sunt iuris prudentiae doctorum, quod in eo studium, operam, curam denique omnem ponant, ut probitatem mentibus hominum instillent, ciues bonos reddant et integros scelerisque puros esse contendant, quicumque sese ipsorum disciplinae committunt. Haec omnia, si rite iuris prudentiae cultor obseruat, iustitiaeque regulas omni in loco tenet, omnino sacerdos eiusdem suo iure appellari meretur, praesertim quum illius sacerdotis iustitiae, Papiniani, exemplum semper in mente et animo habeat, qui iuris asyllum et doctrinae legalis thesaurus AELIO SPARTIANO 2 uocatur, et propterea maximis ornatur laudibus, quod uitam amittere maluerit, quam contra leges imperatoris parricidium excusare.

1 *cit. loco in Ottonis Thes. p. 19. Tom. I.*

2 *in Seuero Imper. cap. 21. p. 635. et Ant. Carall. cap. 8. p. 721. sq.*





Ka 1356<sup>m</sup>

ULB Halle

007 412 843


3











B.I.G.

Farbkarte #13

0-

DE  
IVRIS CONSVLTIS  
SACERDOTIBVS IVSTITIAE

DISSERIT

VIRO  
CONSVLTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO  
DOMINO  
IACOBO HENRICO BORNIO

A. M.

SVM MOS  
IN VTROQVE IVRE HONORES

*Rea*  
*1356m*

EX MERITO COLLATOS

GRATVLATVRVS

M. IOANNES IACOBVS BOSIVS

ADD. PETRI CATECHETA.

LIPSI AE A. D. III. IDVS AVGVSTI A. R. G. MDCCXXXVIII.

LITTERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL.

